



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Pio Lectori Salvtem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

PIO LECTORI SALVTEM.



Dilectissime, multumque dubitavi, studiose Lector, an disputationes has, quibus auditoribus meis sacra incarnati Verbi mysteria explicaui, in publicum emitterem, an vero suppresserem, & apud me continerem. Nam primum quidem rei magnitudo ac splendor, ingenij mei imbecillitatem perstringebat: deinde terrebant me, quæ à sapientissimis viris hoc de argumento subtiliter sunt hæcenus disputata, doctissimeque conscripta, quibus cum si hæc nostra conferantur, tenuia fortasse, ac ieiuna videbuntur. Postremo non ignorabam, quàm periculosum sit hominum manibus, oculis quæ versari, qui leuibz interdum maculis, aut nevis offenduntur. Atque iis quidem rationibus hoc opus premere decreueram, sed amici quidam mei eruditi, & prudenti, ac sincero iudicio præditi, cum illud rogatu meo legissent, ac probassent, magnas utilitates aiebant (si in lucem prodiret) posse omnibz. Theologiae candidatis afferre, in quibus haud esse eam commoditatem negligendam dicebant, quæ ex librorum excusorū copia percipi posset. Siquidem exiguo pecunie dispendio, quod temporis inutiliter in describendo, magno cum labore sepe consumitur, id totum in exquirenda ac peruestiganda veritate, & cuiusque disputationis pondere expendendo, fructuosius collocari posset. Addebant præterea timendum esse, ne hæc ipsa concisus à me in scholis dictata, & mendo se excepta à discipulis, & perscripta, ab alio euulgarentur aliquando, satius quæ esse, ut à suo autore enucleatius explicata & limata, ad manus hominum pervenirent. Cum autem me neq; tot rationibus, neq; etiam precibus amici in suam sententiâ possent adducere, accessit tandem eorum autoritas, qui mecum agere obedientie iure possunt, & me hærentem, & inter varias deliberandi curas quasi fluctuantem, denique perpulit, ut hanc tantam provinciam susciperem, & difficultates omnes, quæ plurimæ ac maximæ mihi ante oculos versabantur, in ea sustinenda deuorarem. Quarum illa fuit certe non parua, quæ omni opera, studio ac diligentia conatus sum D. Thomæ sententias sic explicare, ut aperte ac dilucide intelligantur, quo in genere dedi operam, ut sacrarum literarum testimonia, Conciliorum decreta, & sanctorum Patrum monumenta diligentius euoluerem, & quasi fontes ipsos, ex quibus D. Thom. hausit, monstrarem. Ex quo factum est, ut nonnunquam disputationes nostræ prolixiores forte videantur, quod non tam ieiune, quàm in scholis fit, tractentur, sed allatis in medium sanctorum Patrum sententiis confirmantur, ac differantur. Nullam tamen (ni fallor) alienam questionem, & (ut ita dicam) peregrinam, e suis tanquam sedibus conuulsam in meas hæc commentationes quasi in alienas sedes inuitam, ac repugnantem transtuli, nullam redundanti, ac inani verborum copia exornavi, sed quod perspicue multa paucis vix dici possunt, & obsequendum fuit desiderio plurimorum, ipsa suscepti operis ratio nos fecit longiores. In aliorum opinionibus, vel confirmandis, vel refutandis D. Thomæ modestiam (quæ summa est) imitari studui. Itaque sic autores ipsos profero, ut laus sua cuique tribuatur: sic sententias, eorum etiam, quos non probo, expono, ut quantum momenti, atque autoritatis habeat cuiusque sententia, Lector facillime diiudicare possit citra cuiusquam vituperationem, atque iniuriam. Nam sicut à viro Religioso ac modesto maxime abesse debet sui laudatio, sic etiam aliorum acerba reprehensio, ac vituperatio. In quibus rebus opinioni locus est, ipsius etiam Angelici Doctoris prudentiam, atque exemplum secutus, eum delectum habui, ut quæ pia, quæ grauiæ, quæ antiqua sunt, anteponerem iis, quæ à pietate, grauitate, antiquitate videntur abhorrere. Hæc habui, de quibus te admonerem, optime Lector. A te magnopere etiam atque etiam peto, ut si quid boni tibi (cum hæc legeris) occurrerit, id totum Deo Optimo Maximo acceptum referas, fonti bonorum omnium: si quid vero, quod minus placeat, mihi id tribuas, & ignoscas.